JOHANNIS MARCKII
ORATIO
DE
SOPIENDIS IN ECCLESIA LITIBUS.

HABITA

Groningæ in Templi Academici Choro

Cum ordinariam Theologiæ Profeſſionem, atque Provincialis Eccleſiaſtæ munus ibidem auſpicaretur.

A. d. XII. *Kall. Jul.* MDCLXXXII.

Groningæ, apud DOMINICUM LENS, Typographum & Bibliopolam. CIↃ IↃCLXXXII.

Ampliſſimis, Nobiliſſimis, atque Illuſtriſſimis Viris,

D. HENRICO WERUMEUS, *Reipubl. Groninganæ Conſuli Graviſſimo, Spectatiſſimo, & h. t. Senatus Præſidi meritiſſimo; nec non Societatis Indiæ Occidentalis Directori Vigilantiſſimo.*

D. SCATO GOCKINGA, *Ejuſdem Reip. Groninganæ Senatori Seniori, Prudentiſſimo, Meritiſſimo; Aduwerti cum ſex annexis pagis, ut & Nyehove, Leechkerck, Dorquert Toparchæ.*

D. JOHANNI EECK, *Reipubl. Groninganæ quoque Senatori Prudentiſſimo, Meritiſſimo; in Eenum, Zeerijp, Leermens, & Zant, Toparchæ.*

D. EYSO JARGES, *D. de Meyma, in Raſquert, Bafflo, Andel, Ranum, Maerhuyſen, cum annexis, ut & Adwerti, cum ſex pagis, Nobili & Toparchæ, Catarractarum Winſumienſium & Schaphalſterzylenſium Præfecto hæreditario.*

D. FECCO OMPTEDA, *op Ompta & Boukema, op't Zant, Leermens, Zeerijp, Eenum, Vierbuyren, Lopperſum, Wirdum, Eeeſterecht & Weſterdiel, Langewalt, Nobili & Toparchæ.*

D. ELING AUWEMA, *in Visvliet & Oldekerck, Nobili & Toparchæ.*

Academiæ Provincialis

GRONINGÆ & OMLANDIÆ

CURATORIBUS MAGNIFICIS

AC SPECTATISSIMIS.

Dominis ſuis omni obſervantia colendis

Orationem hanc, ipſis jubentibus & benevolè audientibus habitam,

Dicat Conſecratque

JOHANNES à MARCK.

JOHANNIS MARCKII ORATIO De *Sopiendis in Eccleſia litibus.*

Magnifice Univerſitatis hujus Rector; Nobiliſſimi & Ampliſſimi Curatores, & qui adeſtis Reipublicæ Proceres, natalium ſplendore, virtutum decore, & meritorum dignitate Viri Illuſtres; Clariſſimi ac Celeberrimi Profeſſores; Magnifice Academiæ Franekeranæ Rector; Reverendi & Fideliſſimi myſteriorum divinorum Præcones; Præſtantiſſimi Doctores; quotquot porrò adeſtis vel honorati Hoſpites, vel honeſti Cives, vel egregii atque lectiſſimi Juvenes.

NUllum gravius & ſimul frequentius eſſe malum, quo militantis Eccleſiæ exercetur virtus, motibus internis, & ſciſſis inter ſe commilitum ſtudiis; nullum ſimiliter mutuâ fratrum concordiâ, junctiſque æternâ pace dexteris, magis optabile bonum, uno verè ore fatentur omnes. Habet cum omnibus, quæ exer-

citui Chriſtiano obveniunt, adverſitatibus id commune triſtis diſcordia, quod illuſtriorem non modò reddat Imperatoris gloriam, conjuratum hoſtium impetum feliciter tamen frangentis, ſed & militiæ lætum invita promoveat exitum: ad eum ferè modum, quo commiſſi duello milites terrorem ponere, præpilatam ſubire haſtam, torporem excutere, inſidiantis attendere molimina, arma tractare, hoſtem aggredi, eundemque victum triumphare diſcunt. Verum non tanti æſtimant hos fructus Duces, ut frequenti militum ſuorum ſtrage præſentiſque ab hoſtium vi unitâ cladis periculo eos redimendos judicent. Imò verò graviſſimum pariter malum & ſummum nefas, civile quodvis bellum dixerunt Sapientes, efferatorum animantium exemplo æſtuantium inter ſe animorum impetum reprimentes.

Neque hic lupis mos, neque fuit leonibus
Unquam, niſi in diſpar feris.

Ita ſanè de ſacra militia & regno Chriſti judicare debemus, mutuis vulneribus, verberibus, ac verbis etiam, latus aperiri ſtrictis inimicorum enſibus, teliſque patere pectora. Quin & verè hoſtilem eorum eſſe conatum, quotquot ab ipſis ſpiritibus infernis concordiam diſcere renuentes, diſſidia movent foventve domeſtica. Quæ datæ ſunt ad ædificationem dotes, deſtructioni hic inſerviunt, quod Domini ſervitio deſtinatum eſt tempus conſervi opprobrio perditur, talenta ſepeliuntur ærugine corrumpenda, fœdatur à filiis matris ſuæ ſponſa,

ſa, contriſtatur, exacerbatur, extinguitur Spiritus, Imperatoris juſſa negliguntur, datum ſymbolum mutatur, imo reipſa ſacramentum Adverſario dicitur. Iſta profectò qui cum oppoſitis concordiæ commodis conſideraverit, non amplius mirabitur egregia olei in caput Aaronis effuſi gratiſſimique roris emblemata, quibus hujus præſtantiam depingens infra rem atque animi cogitata ſubſidet ſacer Vates. Sed ò rem dolendam! carere Eccleſiam tantum non ſemper feliciſſimâ boni tanti poſſeſſione! & debere pacis regnum ita perpetuis exerceri bellis, ut ab internis æquè ac externis motibus vix unquam concedatur quies, ſed premat una tempeſtas aliam! Neque enim, dum præteriti temporis cuſtodes volvimus chartas, ulla ſe ſiſtet nobis ætas ab hoc malo immunis, neque meliorum quæ expectantur, temporum fata ad eam aſcendunt felicitatem, ſi ſacra conſulimus oracula, neque magnam adeò gloriandi occaſionem præſens nobis præbet ſeculum, ſi hominum ævi noſtri ſtudia attendimus. Obſervatis hanc Eccleſiæ calamitatem, in familia mox Adami, Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & præcipuè in ſciſſa turpiter hujus poſteritate, gente ſancta, vividè depictam. Conſiderate amplius pugnantia Prophetarum vaticinia, quouſque his magiſtris in populo ſuo uſus Deus; atque adverſa ſcriptæ legis interpretamenta, quandò cum aliis ſeu quatuor ſeu ſex templi Salomonici prærogativis Spiritus ceſſavit Propheticus, & ad ædificatum à Ma-

 naſſe

naſſe Garizitanum templum pars una populi abiit, in *Gorthenos*, *Sebueos*, *Eſſæos*, & *Doſitheanos* iterum dividenda, ſi credimus *Epiphanio*; ad Oniam, Alcimi æmulum, ac Heliopolitanum Sanctuarium ſeceſſit pars altera; manſitque tertia diverſis *Phariſæorum*, *Eſſenorum*, & *Sadducæorum* inſtitutis diviſa: ne *Haſidæorum*, *Hemerobaptiſtarum*, *Herodianorum*, ac *Gaulonitarum* nomina, quorum ratio Eruditis non ita clara eſt, aut Thalmudiſtis memoratas Phariſæorum ſectas addam. Audite gentium Apoſtolum, de ſciſmatibus, ac abuſu celebrium nominum, Pauli, Apollo, Cephæ, Chriſti etiam, in lætioris temporis initio conquerentem. Stupeſcite ex matris Eccleſiæ ſinu egreſſos, filios prodigioſos, innumeros verè hæreticos, in ortu vix cognitos, & ſub Chriſtiano nomine plurimum nocentes. Attendite contentiones graviſſimas, nunc ob diem habendi Paſchatis, nunc ob baptiſmi repetitionem, nunc ob Epiſcopatus jura, nunc ob remiſſum diſciplinæ rigorem, nunc ob defunctorum anathematiſmum, nunc ob dominandi nimiam libidinem, nunc ob diverſum loquendi modum, nunc ob varium ſive de gravioribus, ſive de levioribus fidei capitibus, ſive etiam de agendis in Eccleſia judicium, omni ſeculo exortas. Luſtrate ſacra vaticinia, ultimorum dierum mores non magnopere commendantia, ſed bella motuſque ex ſapientiſſimo Dei conſilio perpetuo denunciantia. Videte tandem præteritæ ætatis fata, & vaticiniorum comple-

ple-

plementum in Eccleſia, ex Babele egreſſâ, & mox infeliciſſimè per omnes Europæi orbis angulos in æternum ſui dedecus, atque incredibile hoſtium incrementum, hoc eodem malo in hunc diem conflictatâ. Sed quid vidiſſe ſufficit, imo & ingemuiſſe,

En quò diſcordia cives
Perduxit miſeros?

imò & increpaſſe,

Quo, quò ſceleſti ruitis, aut cur dextris
Aptantur enſes conditi?

Dum omnes malum fateri, attamen culpam amoliri didicerunt, egitque tam profundas illud radices, ut ad extirpationem optandam magis quam ſperandam, una Dei ope ſufficiat, neque premi fere abſque contumelia ulcus poſſit. Date id vos nunc meo in rem Chriſtianam affectui, digniſſimique muneris ad quod apud vos capeſſendum vocatus adſum rationi, ut poſt Celeberrimos qui in hac Academia docuerunt Theologos, non modò Chriſtianorum lites deplorem, ſed & mali fontes paulò liberius exponam, & quibus non ineptè modis ſopiri multæ poſſent, amplius adjiciam. Bonum factum dicitis, aſt juvenilibus impar humeris, atque experientiam pariter & auctoritatem poſcens ſenilem. Fateor idem ego, neque placeret arduus conatus, niſi ſeniorum conſilia potiùs recitare, quam mea proferre, illaque ad elapſi temporis geſta magis, quam currentis ſeculi mores, quos ex prioribus prudens quiſque facilè æſti-

æſtimabit; applicare in animum induxiſſem meum. Niſi inſuper, hoc ſermone me confiderem potentiſſimè vobis perſuaſurum, quantoperè veritas in amore, bonum Eccleſiæ & Academiæ verum, ac publica privataque tranquillitas ſupra omnia me ſolicitum teneant. Et niſi tandem benignitate veſtrâ ſublevandos conatus meos fore, ex ſummo affectu, quem jam pluribus modis teſtatum feciſtis, & ex hilari omnium vultu, certa ut puto ſpe colligerem. Vos ergò dicenti favete, & tu inprimis, *æterne Deus cœptis noſtris ex alto annue, ut Pacis, omnisque ſalutaris conſilii Auctor, quo fructu ſuo non careat noſtra oratio, ſed lætum ſit laboris noſtri in hac Alma initium, lætior progreſſus, lætiſſimus exitus.*

Plantas nocivas, arboreſque infructiferas, ſuccum nobilioribus fruticibus ſubtrahentes, ex hortis aut pomariis prudenter ablaturi ad imas ſolent deſcendere radices, nè harum relicta pars aliqua repullulet. In originem morbi ante omnia inquirunt ſapientes Medici, ne repreſſo tantum externo hujus per membra ſe diffundentis impetu, tempus inutiliter teratur, & ſæpè nobiliores humani corporis partes latentium & compreſſorum malorum impetu pereant. Ignis ardorem extincturi, ad nutrientem maximè concurrunt fomitem, ne omnis opera ſit fruſtranea, vim quandoque recolligente flamma, & præſtantiores domus partes abſumantur, reliquis poſtea ſua ſponte collapſuris. Nihil ego nunc adducam, quod aptum ſit ad Eccleſiaſticarum contentionum

tionum ſive amarum fruticem ex Domini ſeminario & concluſo horto extirpandum, ſive gangrænam, Eccleſiæ corpus miſere deformantem, ſanandam, ſive ignem, ſanctiſſimo templo horrendam ſtragem minantem, extinguendum, niſi ſimiliter ad harum ſemina, latentia principia, atque tum emittentes ſilices, tum recipientem fomitem vobiſcum aſcenderim. De *Ariſtotele*, quem *humani intellectus finem* Hieronymus appellavit, narrat *Ælianus*, illum ad AntiPatrum ſcripſiſſe, quod decretum Delphis & poſtea ereptum honorem, *neque magnopere curaret, neque omninò non curaret*. Quæ uti ille ab ambitione, graviſſimo & Philoſophum neutiquam decente crimine liberare conatur, ita Chriſtiaños à gentili didiciſſe quàm foret utile! Laudem ſane operis honeſtam, nominiſque in gentibus diſſitis celebritatem, atque apud ſeros nepotes benedictionem aſpernari Chriſtiana non mandat religio, quæ hoc potius utitur incitamento, ad calcandam ſtrenuè virtutis viam; præeunte in mulieris unguentum capiti infundentis exemplo Salvatore. Quin laudis loco contumeliam, amoris vice odium ſi fructum ſeduli laboris habuerimus, licet ad animum revocare ſeculi ingratitudinem, atque divinæ bonitatis noſtro exhibitæ miniſterio protervum interpretari contemptum. Sed altius videmus tituli multos tangi honore, quærendi nominis duci ardore, urere miſerum gloriam pectus, omne eſſe ſtudium in merendo populi ore; ſcilicet

B *Pulcrum*

Pulcrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.

Quo ſi tritâ vix aut difficulter perveneris via, per artes novas, per fratris contemptum, per ſapientiæ imaginem, per mutatum ordinem, per datas turbas illuc graſſandum videtur. Ad eum ferè modum, quo apud *Ælianum Hipponicus*, donarium patriæ ſacrare noluit à Polycleto factum, ne gloria major ad artificem, quam conſecrantem rediret. Imo nôn aliter quam *Heroſtratus* olim, ſceleratiſſimus nebulo, nomen poſteritati conſecraturus, *magnificentiæ admirationem* illam *templum Epheſiæ Dianæ, ducentis viginti annis*, uti obſervavit *Plinius*, *factum à tota Aſia*, cui Xerxes pepercerat, propria incendit manu; non obſtante Epheſiorum conatu voti etiam ſic ſui compos factus. Atque hanc quidem ambitionem vanam an miramini, Auditores, me primo nominare loco, dum in contentionum inquiro fontes? Judicate ergò vos ipſi, an quidquam aliud ad turbas tantoperè ſit compoſitum, imò an quidquam virtutis ſtudioſo pectori poſſit eſt gravius, cui prius ſe opponat, quam hujus præmia ignavos ſibi quærere & rapere homines. Diſcite idem ex præteriti temporis hiſtoria, quæ dabit *Phariſæos*, ſapientiæ & ſanctitatis perſuaſione turgidos, hinc primatum affectantes, diſcipulos æmulatione honoris ſciſſos, *Simonem* faſtu mero Eccleſias turbantem, *Diotrephem* ex arrogantia fratres rejicientem, *Pſeudo-Apoſtolos* ſua elogia prædicantes, *Baſilidem* præter hos, *Carpocratem*, *Novatum*, *Samoſatenum*,

Mane-

Manetem, *Arium*, *Photinum*, *Apollinarium*, & omnem ferè hæreticorum & ſciſmaticorum chorum, quos vel ſapientiæ vel honoris affectatio injuſta impulit. Noſtis, Auditores, Chriſtianum, quod vitio huic medetur, officium, ac mutuam ſtabilit concordiam, humilitatem nempe, virtutem depreſſam ſed altiorem omni faſtigio, à Philoſophis quidem commendam ſed magis à diſciplinæ noſtræ Auctoribus. *O medicinam omnibus conſulentem! omnia tumentia comprimentem! omnia tabeſcentia reficientem! omnia ſuperflua reſecantem! omnia depravata corrigentem!* Et quis tu es Chriſtiane, qui ab hac abhorres, in qua præiit imitandus tibi ſummus Doctor & Ductor? Itane tui plenus ſapientiæ & dignitatis opinione turgebis, ac præ fratre te efferes, qui plane vacuus depoſito genu aliunde quod habes te accepiſſe fateri cogeris. Et cur magis cogitas, quid tibi adſit quam deſit, cum nondum eam donorum nactus ſis perfectionem, ut de præſentium perpetuitate, & majorum acquirendâ poſeſſione ſecurus eſſe queas: hæc enim omnium ſola *vera perfectio ſuæ imperfectionis cognitio.* Et quo providentia altius evexit ac levavit divinas opes,

Hoc ſe ſupprimere magis felicem decet.

Perſonet Chriſtianorum aures & corda non inſana *Bileami* gloriatio, neque rebellantium Judæorum impietas, neque Corinthiorum & Laodicenſium faſtus; ſed Moſis, Davidis, Aguris, Jeremiæ, Pauli, cœleſtis vox, ac verè ſuperna ſapientia. Aliud adeſt ambitio-

nis remedium, conſideratio operis & Chriſtianis omnibus & Doctoribus maximè demandati, quod neutiquam eſt ſui nominis, ſed divinæ gloriæ cura, quò omnia collimare debent ſtudia. Adeò bonus ſi fuerit Dominus, ut ſuo in magno opere nos dignetur ſervitio, imò ita ſi fuerit liberalis, ut in quandam laudis communionem nos admittat, quid cogitari poteſt indecentius, quàm ipſo neglecto & poſtpoſito noſtri nos habere curam? & quis æquus rei æſtimator animo non proponet graviſſimam ſacrilegii pœnam, olim ambitioſos operarios, non minus quam Protoplaſtos & Babelis extructores oppreſſuram? Annon inſuper & vos judicatis ambitioni viam magnoperè præcludendam, ſi virtuti ſuus conſtet honos, atque ſolida eruditio & pietas eo apud homines, quo apud Deum habeantur loco, id eſt, prono affectu debitaque cum veneratione ab omnibus excipiantur. Sic ſane ignavis ad titulos aditus interdicetur, fruſtra amplius ſolicitandus, & maxima ingenia, queîs indita dementiæ mixtura æſtimationem quærere perſuadet modò, indecenti cura levabuntur. Eſt hic, niſi fallor, per ambitionem accenſæ contentionis fomes invidia, tabificum verè venenum, prioris vitii haud rarò comes, prout

Stimulos dedit æmula virtus,
Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompejuſve parem.

Hæc ſe exſerat ſancta cum moderatione in inſcitiæ ac igna-

ignaviæ mancipia, quæ dum veneratur ſeculi error, immerentibus conferri nobiliſſima eruditionis & virtutis præmia dolent meritò boni; uti *invidiam* hanc *juſtam Hippias* apud *Stobæum* dixit. Sed turpiſſima hic eſt hominum conſuetudo, argumenta amoris in odii convertere alimenta, & quo fere magis quis rerum divinarum ſapientia, profunda ſacrarum literarum intelligentia, linguarum, artium & hiſtoriarum cognitione, diſſerendi promptitudine, docendi ſuavitate, diſputandi ſagacia, meritorum ſplendore, pietatis zelo, honoris dignitate excellit, eo intenſiore hunc cum livore intueri. Quaſi conceſſorum donorum rationem nobis homuncionibus dandam haberet ſummus diribitor; nec in eodem expanſo ſtellas variæ magnitudinis & lucis, in eadem domo varii generis vaſa, in eodem corpore differentis præſtantiæ membra, in eadem familia & Republ. diverſas functiones extare conveniret. Ita ſane ſapientiam & libertatem Dei impugnat, Eccleſiæ bono inſidiatur, in fratrem injuſtus, in ſe crudelis eſt, quiſquis peſtiferum hoc malum, & fertile delictorum ſeminarium in ſinu fovens, edentulus ipſe veſcentium dentibus invidet, vel etiam ſol veſperæ. Sed & turbarum hic & contentionum ſæpe cauſa magna eſt, uti ex invidia non modo Caini ſcelus, Lothi ſeceſſio, Eſavi averſio, fratrum in Joſephum conſilia, ipſiuſque Chriſti mors: ſed amplius *Pſeudo-Apoſtolorum* contra Paulum molimina, & innumeri in *Origenem*, *A-*

 thana-

thanaſium, *Cyrillum*, *Chryſoſtomum*, ac ſumma quæque Eccleſiæ lumina motus, vicinis etiam temporibus. *Invidia eſt filia ſuperbiæ*, *ſuffoca matrem & non erit filia*, conſilium eſt *Auguſtini* ſapientiſſimum. Cogitet unuſquiſque, nullam ſibi fieri injuriam, ſi majores alteri conferantur dotes, neque ob liberalem Domini bonitatem oportere affligi conſervum. Perpendant ſinguli, gratum ſibi eſſe debere Eccleſiæ & divinæ gloriæ incrementum, cujuſcunque id accidat ope, grataque induſtriæ præmia, quæ merentibus conferuntur. Conferant omnes ſe cum inferioribus magis, quam ſuperioribus, ut excellentiam ſuam intuiti gratias potius Deo, quàm fratri contumeliam referant. Contendant tandem humili prece, perpetuaque ſedulitate ad ea dona ac encomia, quæ in aliis modo mirantur. Viam autem veri profectus non minus quam pacis hic ignorant, qui unam ad gloriam exiſtimantes ſemitam novitatis ſtudium, vetera quæcunque ab aliis dicta faſtidiunt, noviſque inventis impenſè delectantur, ad exemplum Athenienſium. Cornicum dixeris hos configere oculos, atque palam profiteri,

Vilia ſunt nobis quæcunque prioribus annis
Vidimus, & ſordet quicquid ſpectavimus olim.

aut uti alter,

Eſt quoque cunctarum novitas gratiſſima rerum.

Degeneres Eccleſiæ Chriſtianæ filii qui non ampliùs gloriæ ſibi ducunt depoſita Sanctorum Patrum & com-

miſſa

miſſa ſervare, curioſaſque ſupernorum myſteriorum ſcrutationes, ac profanas novitates damnare, quibus non libet niſi per opprobrium Patrum ſibi quærere laudem; qui in pudorem agentur à Judæis non modo, conſtantiæ gloriam in ſervandis Patrum traditionibus ſibi vendicantibus, ſed & excæcatis gentibus, antiquos mores crepantibus.

Ut ſemel obſedit gentilia pectora Patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Ætatum per mille gradus.

Quæ eſt hæc intoleranda fidei Chriſtianæ contumelia, audire eam hoſtibus & merito non ſecularem, non annuam, non menſtruam, ſed ferè diurnam, dum nova indies ſurgunt ingenia, & cum his totidem egregia ſcilicet inventa, quibus veritas producatur latens, error fugetur, ſuperflua reſcindantur, mens illuminetur, pietas accendatur, futura prænoſcantur, ſalus promoveatur. Valeant illa in vita communi, in prudentia ſeculari, in artibus experienta nixis: religio veriſſima, quæ antiquiſſima, quia una. Placeat hic innovatio quorundam petulantiæ & pruritui, diſplicet omnibus, quotquot non ex vana ſcientiæ ſpecie, aut docentium fama, aut tradentium impetu, aut Magiſtrorum gravi ſupercilio, ſed ex pietatis ſynceræ & communis ædificationis fructu religionis decus æſtimant. Impoſſibilem ego palam judico publicam concordiam, quandò ingeniis his licet fœtificare, id eſt, inventa ſua &

propalare audacter, & quotidiè adaugere viriliter; quod neque in Republica ſua *Plato* admiſit, *ſublimis* ille *Philoſophorum apex*. Perſpicua majorum fides nulla eſt cœni permixtione turbanda, nihil ultra licere debet novitati, quia nihil addi convenit vetuſtati, nec id agendum Theologis, quod apud omnes ferè hæreſes quaſi ſolenne & legitimum eſſe obſervat *Vincentius*, ut ſemper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ à fide naufragent. Exigua ſæpe ſunt initia, nec tam doctrinæ capitibus, quam Doctorum gloſſis, receptiſque docendi modis adverſa. Sed plura recondita ſervare, & ſub molliorum verborum involucris latere, familiaris novantium eſt prudentia, dicam an aſtutia. Et eſt adeò arctus cœleſtium veritatum nexus, ut lædi abſque alterius damno vix altera poſſit, quin & minima innovatio *Chryſoſtomo* ſit *Euangelii everſio*. Imo ex *Arii*, *Neſtorii*, *Eutychis*, *Sergii*, *Themiſtii* hiſtoria qui exiguam contentionis ſcintillam in horrendam quandoque erumpere flammam non didicerit, hunc ego abſque lacrymis, ſi poſſit, intueri jubeo triſtem Proteſtantis Eccleſiæ, quæ ſuperiori contigit ſeculo, diviſionem, quin & miſerandam Belgii faciem ante laudabilem Celſiſſimorum Ordinum & Dordracenorum Patrum curam. Quam imitandam ſimili in caſu, ubi ſanæ doctrinæ tectius ſive apertius imminet periculum, habent Eccleſiarum Nutritii & Antiſtites. Malum in herba prudentius

dentius ſupprimitur, quam ubi ad maturitatem ſemina pervenerunt, & facilius ſuccedit Medici opera, ubi per longas moras morbus nondum invaluit. Nec damnat modò vetuſtiſſimam Eccleſiarum praxin, ſed omni etiam prudenter gubernandæ Eccleſiæ rationi adverſatur, qui ordinario Claſſium aut Synodorum tribunali omne de incidentibus Controverſiis, tolerandis an ſecus, judicium adimit. Dum nationales, nedum œcumenicos conventus, tempora ſæpiſſime non patiuntur, atque cura veritatis & pacis, feſtinanda haud raró, Canonibus tum Apoſtolicis, tum Eccleſiaſticis, Epiſcopis omnibus & ſingulis credita eſt, quin etiam quietis publicæ ſervandæ ergo multa ſupprimi abſque anathemate, & ſciſmatis periculo facilè poſſint. Utinam ſocordia non frequenter hic peccaſſent, quos ea cura tangit, inſcii ſic promoventes lites, longè graviores poſtea futuras! ad eum ferè modum, quo delictis filii connivens pater, aut ſervo minora indulgens herus, aut in crimina minus ſevere adimadvertens Princeps, ſibi negotium gravius faceſſit. Incitationem nolo animi ad iram, ad arma, ad pugnam, ad dejectionem, ad anathemata, ad proſcriptionem, ad extrema remedia, quæ omnibus tentatis ſeriùs adhibere convenit. Utinam neque hac animi acerbitate protracta in apertam forent lucem cum communis tranquillitatis diſpendio, quæ latere potuerant, neque vulnera ſæpe inutiliter Eccleſiæ inflicta gravia nimis! Quomodo de ipſis Arianiſ-

 mi &

mi & Neſtorianiſmi initiis Viri judicant graves, non diſſentiente magnoperè *Hilario*, quando adverſus Conſtantium ſcribens, conqueritur, *poſt Nicæni conventus ſynodum, dum in verbis pugna eſt, dum de novitatibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de Authoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cæpit, prope jam neminem Chriſti eſſe.* Unde etiam acerbiores *Nazianzeni* profectæ videntur voces, quibus ſe *alicujus concilii bonum exitum vidiſſe* negat, & *malorum potius incrementa quam remedia ex illis proveniſſe*, ad *Procopium* deponit. Eſt omnino Medici cura in benignioribus poculis, lenientibus, ſoporiferis, corrigentibus, abſtrahentibus, haud parum conſpicua. Quibus hic conveniunt fraternæ monitiones, interpretationes, ſuppreſſiones, correctiones, cohibitiones, quibus ſi prudenter utantur, *Conciliorum in Eccleſia ſaluberrimam eſſe authoritatem*, cum *Auguſtino* eſt judicandum. Creditiſne, Auditores, eas vires acquiſiturum fuiſſe *Arii & Macedonii* virus, niſi toleratæ prius fuiſſent *Juſtini*, *Irenæi*, *Tertulliani*, *Origenis* ſive phraſes minus convenientes, ſive curioſæ nimis in ſublime myſterium inquiſitiones; de quibus recte *Athanaſius*, *Judæorum eſt quærere, quomodò ex Deo verbum ſit, aut quomodò ſit Dei ſplendor, aut quomodo gignat Deus.* Et pariter *Ambroſius*; *noſtrum eſt non diſcutere, quomodò natus ſit Dei Filius, dum ſcimus, quod natus ſit.* Putatiſne majus *Pelagium* habuiſſe impietatis

ſuæ

ſuæ fulcimentum, quam facilem admiſſionem ſuarum, ſi non hypotheſium, ſaltem phraſium, in *Juſtino, Athenagora, Tatiano, Irenæo, Clemente, Tertulliano,* & quotquot ante ipſum ex *Platone* ſapuerant & diſſeruerant Patribus. Si plura vultis, conſiderate obſcuratam in Papatu gratuitæ juſtificationis doctrinam, poſtquam in Schola Alexandrina *Clementis* jam ætate auditæ abſque caſtigatione fuerant voces; *licet vobis ſi velitis pretioſiſſimam ſalutem emere proprio theſauro, caritate & fide vitæ, quod quidem eſt juſtum pretium quod libenter Deus accipit.* Conferte tranſlatam authentiæ gloriam à fonte in cœnoſum Vulgati textus rivulum, cum veteribus & fabuloſis Græcorum Codicum encomiis. Imò cogitate, quam vanis de terreſtri Chriſti regno opinionibus, poſt Judæos, *Nepotianis, Pepuzianis,* & impuris *Chiliaſtis* plurimis viam ſtraverint celeberrimi quique & impune Patres. Ita ſane dormientibus, quibus agri cura incumbit, zizania placidè ſerit adverſarius, vix poſtea abſque tritici diſpendio gravi evellenda. Videor ego mihi in vultu veſtro quandam modo deprehendere ſive admirationem, ſive indignationem, quod videar vobis hinc torporem in Scripturarum tractatione, illinc tyrannidem in Eruditorum ora & calamos, ut pacis adminicula commendare. Quas ego de me cogitationes ab animis veſtris abeſſe jubeo, & ut expellam, utrumque hoc & graviſſimum malum eſſe, & diſcordiam magis quam pacem promovere contendo.

Scientiarum fines non difficulter ſed nunquam inveniri, ab erudi-tione pariter & facundia celebris dixit Judæus, ob hanc rationem puteo eos comparans fundo fineque carenti. *Semper plura quam diſcuntur ſuperſunt, ut etiam is, qui ſe putat attigiſſe finem ſcientiæ, ſemiperfectus alio judice habeatur, & ſecundum ipſius veritatis judicium adhuc circa principia hæreat.* Quis amplitudinem divinæ legis finibus circumſcripſerit? quis ſcripturarum theſauros exhauſerit? quis minimorum apicum montes fuerit complexus? quis augendæ ſcientiæ per ſacros Vates facta promiſſa ſpreverit? quis ſcrutandi inquirendique perpetua monita neglexerit, vel fructu caſſa contempſerit? *quis*, Lirinenſem auditis, *quis ille tam invidus hominibus, tam exoſus Deo, qui religionis profectum prohibere conetur?* Ingratus ſit nimium oportet in Patrum laborem, in virorum ævi noſtri ſtudia, in propria dona, quiſquis exhauſtum dudum Theologicæ Eruditionis penu vanâ credit ſimplicitate. Unde labor non minus, quàm oratio omnes decet, ſapientiſſimos etiam Doctores, ſiquidem *melius docet*, ut eleganter Auguſtinus, *qui quotidiè creſcit & proficit diſcendo meliora.* Et quomodocunque interpreteris, intolerandus eſt docentium torpor, quo divinæ ſapientiæ gloria deteritur, laudata deceſſorum virtus relinquitur, communis diſcentium ædificatio impeditur, mentis dotes ſepeliuntur, contentiones, nolite mirari, excitantur. In eam enim imbecillitatem hominem ferè poſt peccatum caro adjacens rapere ſolet, ut alteri etiam quod ſibi diſplicet,

invi-

invideat decus, neque quam averſatur in fratre toleret virtutem. Quæ cum nunquam ſuis careat cultoribus, ex torpore mox invidiam, diviſique animi motus naſci videas. Atque eſt inſuper ea ingenii humani depravatio, ut virtuti & literis minus incumbens, affectuum ac indecentium moliminum impetu facilius longe abripiatur. Rem geſtam videte in literarum ſacrarum ſimul & profanarum inſtauratoribus, quibus noviſſimis ſeculis majores nullas, quam ab ignavia aliorum turpi, moleſtias creatas eſſe, Annales loquuntur. Colligitis jam, Auditores, rem non minus deplorandam eſſe dominandi libidinem, ſin mavultis, *regnandi diram cupidinem*. Hac quid dari poteſt magis alienum ab officio Chriſtiani, quem humilitas, modeſtia, manſuetudo, charitas decent, ab officio inquam Doctoris, cui paſce, non poſce, hortare non dominare, age, non coge, ora non impera, ex vinculis ſerva, non in ſervitutem adige, miniſter, non magiſter, me non gentes imitare, eſt à Domino manſuetiſſimo dictum. Fratres omnes ſunt Chriſti diſcipuli, unum tantum Patrem, Dominumque agnoſcentes, in cujus qui involat majeſtatem, certam criminis tanti dabit pœnam. Utinam vel hujus metu, vel Domini & fratrum amore, ab ambitioſa poteſtatis uſurpatione, aut dominii indecentis affectatione abſtinuiſſent, queîs curæ in Eccleſiam gratia contigit magna! quantum non turbarum præpeditum, quantum non pacis & ædificationis Eccleſiis al-

 latum

latum foret! Vobis, Phariſæi ambitioſi, ratio reddenda erit, non effuſi modò copioſiſſimi ſanguinis, ſed & perditarum veſtro Dominio, quo cœleſte jugum excuſſiſtis & excutere juſſiſtis, animarum. Contra te, Fili iniquitatis & perditionis, ſacrilege adulter, clamat ſanguis juſtorum, quem ob Chriſtianæ libertatis defenſionem tyrannidi tuæ adverſam effudiſti, & præſens bonorum, queîs tuis parere juſſis animi religio non permittit, dira oppreſſio. Contra te clamavit olim vim turpem paſſa, Orientis pariter & Occidentis Chriſtianitas, cum orbe haud uno contentus, utrique leges figere, ſucceſſor ſcilicet (aſt quam compresbyteros appellanti diſſimilis! quam à dominio dehortantis immemor!) Petri in Cathedra Chimærica, tentaſti, anathematum fulmina prò arbitrio vibraſti, fidos antiſtites depoſuiſti, Canones Sanctorum Patrum in rem tuam falſaſti, in mutua vulnera ac fraternas ſtrages populos ruere feciſti, ſupra Reges & Numen omne te extuliſti, quin & parem alterum non ferens, cum re titulum *Epiſcopi univerſalis*, & *Capitis omnium Eccleſiarum*, cujus tum uſurpationem tum affectationem Antichriſtianam in *Gregorio* ipſe dixeras, à Parricida ex odio in Mauritii manes, faventemque Cyriacum, decretum, ſcelere non diſſimilis in *Bonifacio* accepiſti; ut liceret re ſcilicet & verbis pariter *velle & jubere*. Contra te clamabit maximè noviſſimo die laceratus à ſe & Deo orbis univerſus, cujus mole gravius elatum ante ad

infi-

infima deprimet pondus. Durum eſt, facilemque ad turbas viam aperit in hujus vitæ actionibus, violentis aliorum juſſibus ſubjici. *Tyrannum benè colere non facile, ſed nec bene coli.* Pauci ad generum Cereris ſine cæde & vulnere, ſicca morte deſcendunt tyranni.

Vidi cruentos carcere includi Duces,
Et impotentis terga plebeja manu.
Scindi Tyranni.

Sed cogitate merito durius longè ſervitutis jugum, quo religionis mores ab humano ſuſpenduntur juſſu, nec ſermones oris, ſed & cogitata cordis aliorum debent ſubjici imperio. Quid quæſo turbas dedit prius Orientis inter & Occidentis Eccleſias, quam quòd illis non licuerit ſuis moribus lætam Reſurrectionis Dominicæ celebrare memoriam. Quid divortium hoc fecit majus, quam debuiſſe illas à Romano tripode continua audire oracula, ut non licuerit etiam per *Hormiſdæ* imperium, *Maxentio* & Conſtantinopolitanis, *unum de Trinitate incarnatum ac crucifixum* profiteri. Quid ſciſma nulla tollendum induſtria perfecit, ſi non novarum vocum in Oecumenicum Symbolum intruſio, quarum genuinam ſignificationem ſe non difficulter admittere plus quam ſemel profeſſi Græci, jus ſibi ætatem habentibus dictiones formandi, Romanis tamen non conceſſerunt. Et feliciter forte minus ſucceſſiſſet lætus ex Babele exitus, niſi ſub anathematis & miſeræ æternitatis pœna difficilis fabularum & ſuperſtitionum

fides

fides cuivis conſcientiæ imperata fuiſſet. Aſt quam optandum foret, tyrannidem hanc operanti iniquitatis myſterio propriam manſiſſe, tam dolendum eſt, plures eam ſemper didiciſſe, &, quamquam ſub alio nomine & varia ſpecie, impenſe amaſſe. Quæ ex Scripturis didicimus, aut didiciſſe nos poſt preces curaſque multas exiſtimamus, prudenter ſane docere & licet & convenit: ſed tuos profectus, non dicam hypotheſes, ut immota inculcare fundamenta, unde vera ſapientia, pietas, Scripturarum honos, Eccleſiæ ædificatio, hoſtium lapſus, ſalus animarum, Dei gloria dependeant, hinc ſequacium diſcipulorum poſt te trahere ſectam, hinc animos addere & inflare turgidâ ſapientiæ opinione, hoc, hoc demum verè eſt corde fovere, operibuſque exprimere ſpiritum AntiChriſti, ſuique imperii extenſos limites quieti Eccleſiæ præferre. Iterum quæ à Prophetis proponuntur, attenta mente perpendere, ac judicium de illis ſecundum Scripturas non ſimulatum ferre, cui prophetantis ſe modeſtè ſubjiciat Spiritus, hoc Prophetis præſcribit ordo Apoſtolicus. Eſt verò ejus abuſus haud levis, ſi quævis etiam piiſſima & veriſſima cogitata alto ſupercilio non ſimul legantur, intelligantur, damnentur, ſed damnata mox, nunquam vel intelligantur, vel ſæpe etiam attentè legantur, audianturve. Gravis hæc eſt dominatio, quæ etiam in pietatis exercitiis, ac Eccleſiaſticis ritibus non raro Eccleſias turbat: neque

enim

enim hic vel tuos aliis imperare, vel ſuos illis interdicere mores abſque ratione gravi potes, niſi renovato *Novatianorum* faſtu, cum *Aceſio*, ſecundum Magni Imperatoris vocem *ſcalam tibi ponere volueris, qua ſolus in cœlum aſcendas*. Ordini multum, judicio Fratrum plurimum dandum eſt à Pacis ſtudioſis, nec verius quid unquam *Auguſtinus*, quam *inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ, diſputare contra id; quod univerſa Eccleſia ſentit*. *Propria* ſane nos, æque ac alios apud *Chryſoſtomum*, quandoque *loqui, dum Spiritum jactamus*, præteriti temporis recordatio monere debet, atque creſcens cum annís per induſtriam ſapientia docet. Credite, Auditores, quam indecens eſt Viro Docto, ac Chriſtianis pectoribus, levis animi inconſtantia, tam parum decere, cedere neſciæ mentis immobilem pertinaciam, quæ utraque eliminari debet, ſalva ſi erit tranquillitas publica. Radices profundas agit vera fides pietaſque, ut germina & fructus emittere poſſit, nec lenis modò auræ impulſioni, ſed & vehementiſſimis turbinum concuſſionibus facilè reſiſtat. Fundamento nititur rupis immotæ, & eſt ſpiritus coagulum, quo veritates lapidum inſtar junguntur, omni calce, glutine, cera, pice, tenacius. Prius & diu ſatis dum attendit ſapiens, atque circumſpicit, quam judicat, judicium trochi in morem verſatile eſſe nequit, nec modò palliatus, qui paulo ante togatus, aut aliud ſtans, aliud ſedens loquetur. Quam metuit hominibus parum ſtabilibus

D Petrus?

Petrus? quam meritò indoctos vocat? quàm fluctuationem, animumque ad quemvis doctrinæ ventum verſatilem improbat Paulus? quam verè puerili hunc tribuit ætati? Nunquam vel ipſa quieſcit mens vaga, vel quietem aliis linquit, ſemper inquirens, ſemper inquietans. Et uti vehementiores ſolent eſſe turbines, quò minus diuturni, ita muliebres Virorum animos impetus quidam impellere ad ſingula fere momenta ſolet, dejiciens magis, quam ædificans, proſternens, quam erigens, ſcindens, quam colligans. Nec facilè admodum curam admittunt motus inconſtantes, cum maximam induſtriam fallat, Protei dicam an Vertumni, an Metræ, aut ſi præ fabulis naturam amatis, Chamæleontis an Polypi variata ſpecies. Exemplum dedit ab Ario nata hydra, modò decretis ſubſcribens, modò derogans, modò hanc, modò illam adoptans vocem. Et luculentius ſubſecuto ſeculo Eutychianiſmi multiplex propago, in qua duplex *Petrus, Gnapheum & Moggum* intelligo, verius uterque vel Thomas, vel Addi, vel Barſabas, inconſtantiæ triſtiſſimos fructus Antiochiam atque Alexandriam, imo Orientem univerſum ſentire fecit. Sed tune levi inconſtantiæ præſtas invincibilis pertinacia, rabida animorum peſtis? imò conatibus magis es temeraria, & exitu infauſta. Ita quidem res noſtras componere oporteret, ut neque in mentis ſenſis & conſiliis, neque in verbis locum hæc, verum ſemper conſtantia reperiret. Sed dum eſt

ea no-

ea noſtra imperfectio, ut erroribus frequenter occupemur, neque immunem ab his ſe quiſquam præſtare aut exiſtimare poſſit, ſit verò ſecundum *Auguſtinum* angelicæ hoc perfectionis *in nullo aliter ſapere ac ſe res habet*, cedendum ſemper eſt Scripturis Sanctis, juſtis rationibus, atque utilibus Fratrum monitis. Retractationes magni Hipponenſium Doctoris, multos laudare, paucos imitari vetus eſt querela. Neſcio tamen, an ulla major quam ſuarum hypotheſium ſit ſervitus, ſi ex ſimili vitioſæ voluntatis rem æſtimamus. Hac ſane hominem, ſub fucatâ libertatis ſpecie, in ſervitium peccati, Satanæ & mortis tranſire, æquè moleſtum per reclamantis atque comminantis conſcientiæ morſus, æquè exitiale per certiſſimam Numinis vindictam, quam turpe & probroſum, triſtis docet experientia. Sed & fallit pariter ſub imagine veri obſcurata, excæcata, nec niſi ex parte illuſtrata luce cœleſti mens noſtra, quæ ſibi mancipata, ad libertatem plenam nunquam aſſurget, erroribus autem multis ſubjacebit. Ex radice æſtimate fruticem, quæ vel ſuperba ſui confidentia, ac fallere & falli neſciæ conſcientiæ turgida perſuaſio, vel vilis fratrum deſpectus, vel vanæ gloriæ captandæ ſtudium, ne graviora addam mala. Ex fructu de arbore fiat judicium, qui eſt, *Scripturis imponi ſenſum*, uti dixit *Hilarius*, *invitas has ad humana ſtudia rapi*, ut habet *Clemens*, negligi in interpretando vocum genium, ſperni Scripturarum analogiam, contemni textuum alle-

alleluchiam, & circumſpici unicè,

Quid magis expediat, rebuſque ſit utile noſtris.

Sunt totidem cœleſtia oracula quævis hominum horum ſuavia cogitata, aut dulcia ſomnia, aut egregia deliramenta; nec uſum amplius ſuum habet diſputatio ulla, qui eſſe debebat veritatis pura declaratio, ac eſt modo vana verſutiæ & ingenii, & loquacitatis oſtentatio, ut videantur vel Herculi clavam vel Jovi fulmen extorſiſſe, vel picæ luſcinias, aut upupæ cycnos cantu viciſſe. Hæc dum actionum omnium ſuprema eſt lex ſalus Eccleſiæ poſthabetur & concutiatur potius, imò corruat ſplendidum hoc ædificium neceſſe eſt, quam ut ſiſtatur propoſitus curſus. O difficilia ingenia, diſcere æquè ac dediſcere neſcia! quod tamen utrumque Chriſtianum per omnem decet vitam. O incorrecta dementia! quæ ſalutarem reſpuit medicinam. O Spiritus verè Fanaticus & Enthuſiaſticus! à quo quæ paſſa eſt & olim & propinquis temporibus Eccleſia, noſtis abſque infandi doloris longa renovatione omnes. Verum quis dabit capiti meo aquas, & oculis ſcaturiginem lacrymarum, ut defleam ex peregrino igne ortas in templo flammas? Sagax *Septimi*, quando *Philoſophos hæreticorum patriarchas* vocaſti & turbarum patres intellexiſti, hoc nomine *Stridonenſi* laudatus! Sapiens *Origelitane* Præſul, quandò *falſas Philoſophias Diaboli elatos currus* judicaſti! Perſpicax *Pauline*, quando, *in hoc omnem artem Philoſophorum laborare* notaſti, *ut aſſertione fictorum*

lucem

lucem veritatis obſcuret, & inanium contentionum laqueis ſolicitatas à vero mentes implicet, & ingenii fraude decipiat, & fuco ſermonis inducat. Imò provide Chriſtiani populi cuſtos Paule, qui dudum ante *Philoſophiam & inanem ſeductionem* jungens, illius periculum expoſuiſti, quod ipſo uſu Athenis ſecundum *Tertullianum* didiceras. Talpa cæcior & magis depreſſa ratio noſtra, mirè tamen ſuperbit; *ſolos ſe eſſe ſapientiſſimos autumant Philoſophi, & vi hujus nominis ſupercilium ſuſtulerunt*, conqueſto ſic olim *Arnobio.* Hinc reformare dicam an deformare ſtultitiam Euangelii, ac orbem dividere Chriſtianum, ut imperes, eſt ea prima Virorum cura. Quid aliud quam lites ab iis expectaveris, ad ſacra noſtra interius admiſſis, quos in ſectas innumeras diſcordia ſcidit, ac vaga ducit ratio, relicta poſt tergum imo conculcata ſæpe turpiter certiſſima revelatione? Audite *Chryſoſtomum*, mores eorum exponentem; *Ariſtoteles adverſus Platonem, & in Platonem inſurrexerunt Stoici, atque aliis alii hoſtiliter adeò adverſati ſunt, ut non ſolum non oporteat eos ſapientiæ nomine admirari, ſed magis averſari & deteſtari, eo quod per eam ipſam ſtulti facti ſunt.* Periit in Eccleſia Judaica cum veritate unitas, quandò ſacræ legis tractationi permiſta Sapientum diſciplina. *A Chriſtianis converſus Hermogenes ad Philoſophos, de Eccleſia in Academiam & porticum, inde ſumpſit à Stoicis materiam cum Domino ponere.* In *Platonis* imbuti diſciplinam *Juſtinus, Athenagoras, Tatianus, Clemens, Origenes*, quanta nomina! infeliciſſime, modò

 de

de angelis, modò de animabus, modò de harum ſalute & damnatione, modò de arbitrii liberis viribus, ſi non ſacrilegè diſſeruerunt, ſemina graviſſimarum contentionum jacientes, poſt emerſura. *Scholaſticorum* noſtis nomen & ſectas, ſed & audite ex *Ambroſio* mores, quos illum, niſi *Arianorum* præpoſitum eſſet nomen, Spiritu Prophetico prævidiſſe dixiſſem; *reliquerunt Apoſtolum, ſequuntur Ariſtotelem; reliquerunt ſapientiam quæ apud Deum eſt, relegerunt diſputationis tendiculas, & aucupia verborum, ſecundum Dialecticæ diſciplinam.* Conclamatum eſt de ſapientia vera, Auditores, niſi mundanam dediſcamus, cum parvulis myſteria aperiat cœleſtis Pater. Conclamatum eſt de pace, ſi animalibus gloriæ licuerit tubam inflare, & ad prœlia contra ſacras veritates, contra Doctorum phraſes, contra ſolitum docendi modum, contra Deum, juvenilia animare pectora, nimis ſero inſani furoris intellectura dedecus. Quin & conclamatum eſt de religione omni, atque hanc ſecuta Rerumpublicarum tranquillitate, ſi fræna indomitæ laxentur rationi, non prius ſævire deſituræ, (utinam vaticinium falleret, aut hiſtoriam mentirer!) quam vel aperta vi, vel occultis artibus, throno fuerit excuſſum, quod metuit periiſſeque cupit, Numen: Elaborandum eſt igitur, ut in hoc ſeculo ſtulti ſimus, & prurientibus relinquamus *doctrinas natas de ingenio ſapientiæ ſecularis. Quid*, Romani fori & Carthaginenſis Eccleſiæ auditis decus, *quid Athenis & Jeroſolymis?*

lymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Nolite tamen exiſtimare, patrocinium me accipere ignorantiæ, nec admittere aut rationis naturalis culturam, aut Philoſophorum inter Chriſtianos ſtudia. *Anthropomorphitas*, alioſque provoco turbones veteres, ut in eorum exemplo, quantum noceat ingenii ruditas, videatis. Doctorum omnis ævi produco ſcripta, ut caſtigatæ rationis utilitatem diſcatis. Et ſi non niſi ex trophæis arma æſtimatis, en colla jugo Chriſti ſubdere coactos populos, en domitos gentium errores, en proſtratam Papatus idolomaniam, en triumphantem Dei Redemptoris gratiam, en debellatum arbitrii idolum, en vindicatam divinæ juſtitiæ gloriam, en arma viroſque. Imo ingratitudinem interpretor inexcuſabilem in Dei bonitatem, ſi quam naturæ liquit lucem, nos extingui ignaviâ, aut ſepeliri errorum tenebris patiamur. Talentorum etiam horum danda eſt ratio, & metuat merito gravioris excæcationis judicium, qui oculis ſponte occluſis, avia quærit. Illuceſcente aurorâ, uſum præbet candelæ lumen, ſed & in clauſtris poſiti medio die lucernæ indigent ope. Uſum habet Philoſophia ampliſſimum, quam agnoverunt Chriſtiani, *religionis ſuæ propædiam* hanc vocantes, & ſentiunt noſtræ hodie ſcholæ, correcta hinc & polita tranſumentes ingenia, nec tollat uſum gravior abuſus. Ejiciatur ex

fami-

familia Dei Hagar, ſi contentioſe Dominium affectet, maneat Dominæ ſe ſubjicere parata. Fugiat Eſavum, ſi inſidias metuat Jacobus; amplectatur ſi fraternum deprehendat animum. Exeat ſemen carnis, ſi de primogenituræ jure cum ſemine promiſſionis certaverit; in mutuos ruat utrumque amplexus, ſi prius paternæ voluntati legiſque dictamini ſe ſubjecerit. Ubi foret dicendi finis, ſi omnia unâ hac oratione perſequi, quæ addenda forent, eſſet animus. Benevolentia veſtra uſus non abutar, nec aures arrectas amplius fatigabo. Intendite tamen, cathedræ fragore moniti, intendite adhuc animi auditusque vires ad intenſam præconis vocem. Nec audite vos modo, qui adeſtis, ſed & qui per diſſitisſima terrarum loca vel Eccleſiæ pacem veſtris contentionibus fœdè turbatis, vel turbatam cum animæ deſperata ſolicitudine doletis, quos ex editiore ſpecula aut altiſſimi montis jugo coram alloqui quam optarem! *Ceſſet ambitio, quieſcat invidia; abſit pruritus, excutiatur ſocordia; ponatur torpor, exulet tyrannis; ſuperetur inconſtantia, cedat pertinacia; pellatur fucata Sophia, modeſta ruditati medeatur ſapientia; veritatem in pace poſſidebitis omnes.*

An aliam à me, Auditores, exſpectabatis vocem? Alium crediderim vos voluiſſe ſermonem, doctis auribus & illuſtri cathedra dignum: ſed cur & hoc crediderim, cum probe omnes noveritis perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis non indigere ſapientiam cœleſtem, & ſimplicitatem potius quam vanum ſeculi ornatum amare

mare Euangelium. Aliud certè me in hoc novorum laborum introitu, & hoc in loco non decebat magis quam pacis præconium ac votum. A Friſia ſum editus gente & nutritus Eccleſia, illa quæ pacis ſemper amavit ſtudia, nec difficillimis ſeculi hujus initiis in factiones hominum prurientium impetu ſe abripi paſſa eſt, immortale vigilantiæ ſuæ præmium à Dordracenis Patribus nacta, in Venerandi Conſeſſus Præſide *Bogermanno*. Semina ſi quid valent Parentum, atque monita Præceptorum, ex *Cloppenburgii*, *Arnoldi*, *Spanhemii*, nominibus ſimilem colligite in Matrem Eccleſiam affectum. Et ſi plantarum inſtar ex locorum indole, atque hominum quibus ſociamur conſuetudine ſuccum trahant ingenia, quàm licet, licebitque ſemper Ampliſſimorum Friſiæ, patriæ meæ Patrum, prędicare favorem, tuamque Auriaci & Naſſavii ſanguinis ò grande decus, Principum ſeculi noſtri exemplum pariter & ornamentum, ALBERTINA, ebuccinare gratiam. Veſtra enim cura tenellus ego viginti annorum adoleſcens, in fertili & pacifico Academiæ Franekeranæ ſolo Doctor ſum conſtitutus, ut cum vera eruditione modeſta pacis conſilia, ab Anteceſſoribus *Arnoldo & Witzio*, Ultrajectinæ modò Academiæ, & Belgii univerſi decore ut voveo diuturno, imbiberem, & cum illis Academicæ Juventuti inſtillans, averterem, quæ tum prævidebantur, nubes. Nova mihi nunc quidem obtigit veſtrâ liberali invitatione, DO-

MINI MEI, ſtatio, ſed Patriæ vicina, imò patria, dum omne ſolum natale piis, tuque ò Groninga nepoti tuo Patrem dediſti. Idem modò incumbit munus Chriſtianam prædicandi pacem, ejuſque præcones plures formandi, non paratos in prælia, niſi cum hoſtibus, erroribus, ſceleribus miſcenda. Ac uti ſapienti conſilio Illuſtres Proceres in mediis Batavorum flammis, intemeratæ veritati & paci ædem hanc conſecrarunt, ita eſt hæc quoque & fuit olim pacis undique pulſæ ſedes & officina læta, per quam incredibiles Eccleſia & Academia ſumpſit progreſſus, in ſinum ſuum alliciens diditâ pacis famâ Orbis univerſi Chriſtiani propagines ad Eccleſiarum uſum formandas. Nec alia eſt via inſtaurandi, quodcunque eſt perditum, decus, quam illa pacis ſanctæ, quam jungentes ſolidæ Eruditioni, ad immortalem nominis gloriam *Ravenſpergeri*, *Gomari*, *Altingii*, *Paſores*, *Mareſii*, *Widmarii*, Viri quos ſua coluit ætas, præſens miratur, & ſecutura ſtupeſcet, & ipſi aſcenderunt, & cathedram hanc extulerunt. A veſtris beatis manibus, Viri immortales, mihi metuerem, ſi non veſtris, quamquam nimis longè à tergo, inſiſterem veſtigiis; nec ore modò pacem prædicarem, *ite* ſcilicet, ſed & opere præirem, *venite* inclamans. Sic eſt Optimi Juvenes, Doctorem vobis datum videtis qui ſuorum ſibi defectuum conſcius, ad perfectionem vobiſcum contendet, nec deſtruere, ſed ædificare allaborabit. Ponite animos juveniles,

nec

nec cogitate unquam prælia nullos habitura triumphos. Zelus domus Dei alienum in vobis ſive ignem ſive fumum omnem abſumat. Torporem excutite, nec unquam aliter judicate, quam multum eſſe quod neſcitis & ſcire tamen convenit. Vetera prius intelligite quam faſtidite nec nova (fallunt enim improvidos blanda ſpecie) niſi poſt diligens valoris examen admittite. Honeſta linguarum & ſcientiarum tractate ſtudia, ſed Deo & verbo ipſius omnis pareat ſapientia, ne pudefaciat, & obturetur. Diſcite à fidis Præceptoribus, quæ benè didiciſtis, nunquam dediſcentes, quæ malè, nunquam docentes. Utiles ut nobis ſitis diſcipuli, & Eccleſiæ aliquando Operarii, laborate frequenter, orate indeſinenter, & labores votaque noſtra pro vobis benigno accipite affectu. Vobis, Viri Reverendi, paciſque & Eruditionis laude celebres, placeant noſtri conatus, nec dedignamini ſenes juvenem conſilio regere, ac virtute præire, æquales animum addere, ac latus fulcire, omnes dexteram jungere, ac in veſtros ruentem cum debita veneratione amplexus, amplexu mutuo beare. Veſtro gaudet labore felix civitas, veſtrâ pace floret Eccleſia, veſtram operam invidet Groningæ vicinitas, veſtris meritis ſuperbit Belgium, utinam aliquem locum & nomen inter vos reperirem! & ſimiles pareret levis opella fructus! Patimini ut propoſitum votumque clarius exponam. A vobis diſcam ſedulò, quod ſum docturus; vos diſcipulum modò vernaculo

modò Latio ſermone balbutientem, frequenter audite, audacter formate, ut liceat aliquandò de veſtra mihi gloriari imitatione, nobiſquè junctis Domino & Eccleſiæ ſiſtere filios Viros prodigii. Ad Vos, Clariſſima Academiæ hujus lumina, qui ceu fulgida ſydera, omnium ad vos trahitis aſpectum ſinguloſque ad profundam cogitis venerationem, ad vos mea progreditur oratio, ſed eò tardius, quò minus compta vobiſque digna. Meæ ſi ègo ſtuderem gloriæ, à veſtra mihi metuerem: ſed dum uni Domino, ſive molam ſalſam, ſive thura litamus, dum uni ſervimus Reipublicæ, dum uno promovendæ Eruditionis ducimur ſtudio, dum unius producimus Academiæ decus, gaudeo ad veſtræ me ſocietatis honorem elatum, ut merear per veſtrum decus aſpectum, nomenque ſaltem poſtremum & nudum in eorum faſtis, quos orbis literatus ut potentiſſima ſui fulcra dudum veneratur. Credite, ſeriò me loqui, & dum Profeſſionis meæ dignitas, ac Potentiſſimorum Procerum voluntas, eundem hic quem in Academia Franekerana, id eſt, primum inter vos me jubet accipere locum, omnium me veſtrum infimum lubentiſſimè profiteri, nulli tamen facilè, animi humilitate, ac benè de publico, benè de ſingulis merendi conatu ſecundum futurum. Allaborate vos, mihique allaboranti calcar addite, ut pacis & veritatis inter nos cernantur oſcula, audiatque magis quam ante ſapientiæ veræ, & charitatis ſynceræ aſylum, ac animorum ſalubre

lubre phrontiſterium Academia Groningana. Non niſi per plures gradus ad vos, qui dignitatis & gloriæ faſtigium tenetis, Ampliſſimi Reipublicæ & Academiæ Patres, accedo ego, devotiſſimumque vobis & veſtræ Reipubl. animum, ſi fas ſit Prætoris imitari voces, *do*, *dico*, *addico*. Quam, dicitis nunc, minuit præſentia famam? Et verè, vobis enim Viris Principibus placuiſſe laus eſt juvenili inacceſſa ætati. Et neſcio ego, an in veræ felicitatis parte aliquâ ponere debeam, amicorum, aut ſequacium diſcipulorum, quàm ex affectu profecta! elogia. Credidiſtis vos, id enim ſapientiſſimis accidit, rumoribus, & digniſſimam juſſiſtis conſcendere cathedram; metuentem à præcipitio vos benignè ſuſtinete. Placeat candida imbecillitatis confeſſio, ſperandi incrementi præbens argumentum, & addite ad affectum propenſiſſimum animum patientem, ſi quid ex juventutis primitiis, meſſem expectatis abundantiorem. Nolite interim de conatu dubitare, quo veſtro me favore non prorſus indignum præbeam, omnemque in ornanda Academia veſtra, induſtriam collocem. Vos porrò favete, & ſi potentius auxilium flagitaverint tempora, veſtræ non deeſte Eccleſiæ, aut Reipublicæ. Exteris non ceſſiſtis hoſtibus, quandò victorum feroci impetu cecidit Eheu! Belgium, & fuit incolis propè

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Fortitudinem tunc veſtram cum pari prudentia junctam

cùm dolore ſenſerunt mitrati Præſules, miratum eſt Belgium, obſtupuit Europa, ſed obſtupeſcent magis fidem vix habituri ſeri nepotes. Pro veſtra etiam, prudentiâ internis maturè reſiſtetis motibus, pacemque veſtram, cum pace Reipublicæ Eccleſiæ & Academiæ, ad ſeram tranſmittetis poſteritatem.

Qui incæpta votaque noſtra ſecundet, unus eſt Deus; quapropter in cœleſtem hæc committamus montem, altiſque pariter ſuſpiriis Divinam ſolicitemus opem. *Tu qui ea noſti, fac vata noſtra rata Deus. Tu qui ſedes totius univerſitatis arbiter, Curam Belgii & Groningæ Omlandiæque tuæ habe paternam. Tu qui Regum flectis corda, regiſque conſilia, ſcotomate hoſtes percute, ac Spiritus larga copiâ Patriæ Patribus, noſtroque Principi benedicito. Perpetuitatem felicem retribue Naſſaviæ Domui, & tranſcendat Patrum merita* HENRICI CASIMIRI *virtus. Pacem inter continuos belli rumores protrahe felicem, & pacis concede larga munera. Eccleſiam ab Antichriſti violentis oppreſſionibus, aut arcanis alibi machinationibus conſerva, nec ſeducat amplius, ut te juſtiſſimè permittente, fit hodie, Reges & Principes fucata Meretricis ſpecies. Tu corruere fac Babelem, & quas modò populo ſtruit inſidias, in proprium verte dedecus & exitium. Quin & protende regni tui limites, ut tuus fiat populus olim dilectus, ablato velamine, & orbis uterque diſſitus finis ſe tibi fidei obſequio ſubjiciat. Pacem da Zyoni, & ſciſſa in unum redeant fratrum ſtudia, quos modo gloriæ ſuæ ſtudium, carniſque ſervitus diſtrahit. Unus ſit omnium ſenſus,*

una

una voluntas, nec pro ingenio ſuo, aut ſapientiæ ſecularis ductu, ſed Spiritus regula ſcripturas interpretetur quiſque. Depreſſum tollat Academia hæc caput, & fertilis ſit eorum, quibus gubernandam illam commiſiſti cura, illaque in dies novis conſiliis magis pateſcat. Omnium tu ſis Doctor; ut ad tuam gloriam omnes omnia componant. Da nobis Spiritum, da nobis gratiam in oculis diſcentium. Circumcide ab omni temeritate & mendacio interiora & exteriora labia noſtra, ſint caſtæ deliciæ noſtræ ſcripturæ tuæ nec fallamur in iis nec fallamus ex iis. Noli claudere deſiderio noſtro & cognita & abdita hactenus, quo minus in ea penetret, & diluceſcant illuceſcente aurora tua. Progrediatur in cognitione viarum tuarum, ac illarum amore tibi dicata Juventus, ut uberrima proveniat hinc in Eccleſiam tuam ſeges, & metuat ſibi à virili robore Satanas. Tui creſcat hic & ubique nominis gloria, cui uni litamus omnes.

Da Pater auguſtam menti conſcendere ſedem,
Da fontem luſtrare boni, da luce reperta
In te conſpicuos animi defigere viſus,
Dejice terrenæ nebulas & pondera molis,
Atque tuo ſplendore mica tu namque ſerenum
Tu requies tranquilla piis, te cernere finis,
Principium, vector, dux, ſemita, terminus idem.

D I X I.

PLAU-

PLAUSUS GRATULATORIUS,

Honoris & Amoris ergò dicatus

THEOLOGO SOLIDISSIMO.

D. JOHANNI à MARCK,

Philoſoph. & Theolog. Doctori Digniſſimo.

Hujus Facultatis per ſexennium in Alma Friſiæ Univerſitate Profeſſori Ordinario Celeberrimo. Nunc vero in Illuſtri Illuſtriſſ. & Præpot. D. D. Ordinum Provinciæ Groningæ & Omlandiæ Univerſitate Oratione publica auſpicanti, poſt legitimam & honorificentiſſimam Nobiliſſ. & Ampliſſ. D. D. Curatorum Vocationem, Theologiæ Profeſſionem Primam, Munuſque Provincialis Eccleſiaſtæ. Die xx. Jun. MDC. LXXXII.

Titillant tandem poſt nubila jubila pectus;
Atque alias nimium torpida vena ſalit.
Raucus ſuaviſonos interſtrepat anſer olores.
Nil moror. Intrepidum cor mihi præſtat amor.
Gaudeo nutanti validam acceſſiſſe columnam
Palladio, rueret quo ſine noſtra ſalus.
Hic ſuperis dignus labor eſt, ea cura Penates
Faſcibus inſignes ſolicitat meritò!
Anne nihil mox mundus erit ſine Numine? Corpus
Quid ſine mente? mihi putre cadaver erit.
Urbi deme Artes; his aufer relligionem:
Urbi quid reliquum eſt? Athea Barbaries.
Cinge triumphales circum tua tempora vittas
Alma Parens, ſtudiis inclyta, culta, ſacra.
Te Patriæ Generoſa Patrum prudentia fulcit:
Major & his DEUS hæc otia grata facit.
Hoc medicante coire vides tua vulnera, fronſque
Nec pullata magis, nec caperata tibi eſt.

Hoc

Hoc monſtrante ruunt Procerum concordia vota
Ejus in amplexus, quo modo tripudias.
Hocque movente, ſolum Patrium, patriamque Cathedram
Vertit, quo ſurgat priſtina fama tibi.
Felix! addo iterum felix! cui proſpicit æther,
Et cui, qui Rector Magnificus, DEUS eſt.
En tibi Doctorem reverà è millibus Vnum:
En tibi, cui ſimilem ſæcula rara dabunt.
Obſtupuit quoties FRANEQUERA, neſcia, pluris
Quid faceret, mentis ſcrinia, an eloquium?
Exiliit quoties jactando FRISIA, penè
Mirac'lum proprio ſe peperiſſe ſinu?
Poſteritas vix credet, adhuc vigeſimus annus
Cum flueret, gemino laudis honore caput,
Duplice Docturæ cingi potuiſſe coronâ.
I livor, cæpis veſcere; vera cano.
Altera Philoſophum lux nuncupat; Alterá magnum
Theiologum magnâ voce ſalutat ovans.
Inſolita inſolito conamina ſpontè brabio
Illuſtres Friſiæ condecorâre Patres.
Sint Mecœnates, non deerunt hercle Marones.
Nec tibi Mecœnas, ſis modo quiſque Maro.
Singula non pergam memori comprendere verſu.
Et quid opus; tot ubi res monumenta dedit?
Suſpice, Vicinæ quem demirantur Athenæ.
Quemque ſibi ereptum pulpita ſacra dolent.
Admirare Virum, cui vaſta ſcientia pectus,
Cœlica certè illa eſt, reddidit haud tumidum.
Ore verecundo pergrata Modeſtia proſtat,
Moribus & candor non vitiatus ineſt.
Utere, ſis, mecum; & coram ſpeculabere dotes:
Quas, niſi truncatas, carmine quis recitet?
Volve Sybillinas (non ficta oracula) chartas:
Volve, ſtatim noto ex ungue Leo legitur.

Hic immenſa ſuo prodit ſe induſtria filo.
  Mentis & hic aciem pagina quæque notat.
Caſta ſave Lucina libro, quem parturit Auctor,
  Et, pia quem luſtret mens, Paradyſus erit.
Ætatem crepitas? Vah! Sordide, tolle malignum
  Quem geſtas oculum, quod bonus eſt DOMINUS.
Barbane Theologum faciet? non mente probares,
  Sed mento doctos? næ tibi beta cor eſt!
Non Vbi duntaxat Flamen, ſed Quando lubebit,
  Spirabit. Bis dat Gratia quæ cito dat?
Eia veni, Generoſa Cohors, venerare Magiſtrum,
  Quem vobis offert provida cura DEI.
Diſtillat labiis Nectar, cordiſque peritus
  Theſauro vetera, & mox nova vera parat.
Futilibus miſſis utilia ſola docebit,
  Imbuet atque animos præ ſtolidis ſolidis.
Hoc duce ſalva manet capiti reverentia cano,
  Tritaque feliciter Regia tuta via eſt.
Hic referet, fuerint olim quæ fata piorum,
  Romaque quid ſacrâ tentet in hiſtoriâ.
Hic, diffuſa Patrum volvens monumenta, notabit,
  Quæ genuina cluent, ſpuria quæve latent.
Hic Criſin juſtam paſſim inſtillabit, ad ipſos
  Fontes dum ſedat dulcius ipſe ſitim.
Eia age, cui meliore luto præcordia Titan
  Finxit, de pleno hoc ubere lac petito.
Excitet Auditor ſtudium, calcaria ſubdat
  Diſcipulus, quid non Vir generoſus aget?
Quin imitare Virum, virtuti pervia callis
  Omnis erit. Menſes Gratia non numerat.
Aſt Tu, Noſter Amor, MARCKI * Terſiſſime, fronte
  Excipe, ſed placidâ, quæ tibi nunc modulor.

Macte

* מרק *Hebrais ſignificat* Terſit, Expolivit, *unde fortè non incommodè* MARCK *deducere licet.*

Macte tua Virtute, Tuis, noſtroque Lycéo
Grande Decus. Supera, quod pia vota volunt.
Sperne malos, vel redde bonos, bonus ipſe cuique.
Dic, Duc, Fac, Doceas clamque palamque DEO.
Candida Pax gremio foveat te pacis amantem.
Sit, procul amoto, hic, turbine, tuta quies.
Vtque ſuos ſenio ſaturos lugere Facultas
Doctores ſemper Sacra ſueta fuit:
Si tibi, Vita ſuis, det vivere, detque valere;
(Quod voveo, & ſupplex corde gemente precor.)
Evax! Qualis eris tandem, quantuſque Profeſſor!
Hæc Ver? Quid Meſſis? Dicam Ego: Non capio.

W. VELINGIUS.
V. D. M.

HONORI

Admodum Reverendi, Doctiſſimi, Clariſſimi VIRI,

D. JOHANNIS à MARCK,

Phil. & S. S. Theol. Doctor. ejuſdemque Facultatis hactenus in Inclytâ Friſiorum Academiâ, Profeſſoris meritiſſimi, Nunc verò in Illuſtri Groningæ & Omlandiæ Univerſitate ad Profeſſorium & Concionatorium munus obeundum evocati, & Die xx. Junii MDCLXXXII. inaugurandi.

Ὦ; ἄρα νῶιν ἄνερ λείπεις μέγα φέρτατε πάντων
Πάτριδα νῦν προλιπὼν γαίαν καὶ δώματα; χαῖρε
Εὔχομαι ὡς ἀρεταῖς πολὺ φίλτερε κῦδος ὀπηδοῖ.

Ὦ φίλοι, ἠδὲ μοῦ ἡμετέροις ἐνὶ στήθεσι κεῖται
Ἄλγος, καὶ σέθεν εἵνεκ' ὀρώρεται ἔνδοθι θυμὸς
Κήδεσιν, ἄγλαον ἦτορ. ἀτὰρ ξυνίειθ' ἔπος, εἴπω.

ΜΑΡΚΙΟΣ ἐν φρισίοις διδαχῇ ῥέα ἔξοχ' ἄριστος
Πῶς τὶς ἔτλη μόνος; οὐδεὶς, ἀνδράσι δυσμενέεσσι
Στῆναι ἐναντίβιον; κ' ἔριδας καὶ νείκεα βάλλειν.

Οὐκ ἔστ' οὗτος ἀνὴρ, οὐδ' ἔσσεται, οὐδὲ γένηται
ᾧ κεν ἔρις καὶ ταῦτα μετὰ φρεσὶ, φίλτατός ἐστιν
Εἰρήνην ἀγοράζει, εὐσεβίηντε διώκει.

Πάντοτ' ὅπου ΓΡΩΝΙΓΓΗΣ μνήσομαι, ὄλβιον εἶναι
ἡμᾶς δυστήνους διὰ ΜΑΡΚΙΟΝ ἡγεμονεύσω.
Ἀλλ' ἄγε νῦν παντοῖα θεῷ χαρίεντα δίδασκε
Πολλοὶ μὲν νέα, μὴ πολλοὶ δὲ τ' ἀλήθε' ἔχουσι.

MICHAEL ARNOLDI. N.F.
S. S. Theol. D.